



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

DISPUTATIO V.

De Indifferentia ad bonitatem & malitiam.

CONSIDERATA bonitate & malitiâ actuum humanorum, de eorum indifferentia ad bonitatem & malitiam agendum est, & cum S. Doctore hîc art. 8. & 9. discutendum, an dentur actus indifferentes ex sua specie & in individuo? Unde sit

ARTICVLVS VNICVS.

Virum detur aliquis actus humanus, qui non solum ex sua specie, sed etiam in individuo, seu quoad exercitium sit indifferens?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1. **N**OTANDVM primò: quod sicut duplex est bonitas vel malitia actûs, una essentialis quæ desumitur per ordinem ad objectum, alia accidentalis, quæ derivatur ex fine & circumstantiis: ita duplex potest in eo concipi indifferentia, una essentialis & specifica, quæ sumatur per ordinem ad objectum indifferens; altera accidentalis, quæ derivetur ex ordine ad finem operantis, & alias circumstantias. Quod ut magis declaratur, & itatus hujus celeberrimæ quæstionis clarè percipiatur,
2. Notandum secundò, quod sicut homo potest considerari dupliciter: primò secundum se, & quantum ad ea solum quæ ipsi essentialiter competunt, quâ ratione est solum animal rationale: secundò ut à parte rei de facto ponitur, cum omni eo quod ipsi competit etiam accidentaliter; & sic non solum est animal rationale, sed etiam magnus vel parvus, albus aut niger, sanus vel infirmus, muscus vel philosophus: ita pariter actus humanus dupliciter spectari potest, nempe secundum suam speciem & essentialitatem; & ut exercitus à parte rei, ac vestitus omnibus circumstantiis. Inquirimus ergo, an possit esse indifferens utroque modo, scilicet per ordinem ad objectum, seu in sua essentia & specie; & in individuo, ac pensatis omnibus accidentibus, quæ necessariò illum comitantur? Quæstio autem solum procedit de actu humano, id est libero seu deliberato: nam quoad actus non humanos, seu indeliberatos, maxime qui ex imaginatione procedunt, constat nec bonos esse moraliter, nec malos, etiam si absolutè eorum objecta comparata ad rationem essent bona aut mala; quia defectu libertatis, quæ ad moralitatem necessariò præsupponitur, sunt extra totum genus moris, & sic ad bonum & malum potius negativè quàm privativè indifferentes sunt, ut notavit D. Thomas hîc art. 9. in calce corporis articuli. Hîc etiam solum agimus de indifferentia ad bonitatem & malitiam moralem ordinis naturalis, seu quæ sumitur ex ordine ad finem naturalem: nam lo-

A quando in ordine ad finem supernaturalem, dubium non est quin dentur actus, qui neque sunt boni, neque mali, nec meritorij nec demeritorij: v. g. elemosyna facta ab infideli, vel à peccatore, ob finem naturalem misericordiæ, est actus moraliter bonus; sed quia non procedit ex gratia, quæ est radix & principium meriti in ordine supernaturali, in illo ordine neque meretur præmium, neque supplicium, quia nullo modo ad ordinem illum pertinet. His præmissis,

B Circa propositam difficultatem triplex versatur sententia. Prima est Scoti in 2. dist. 7. docentis nullum dari actum indifferentem ex sua specie, plures tamen actus in individuo indifferentes esse. Secunda D. Thomæ hîc art. 8. & 9. asserentis dari quidem actus indifferentes ex sua specie, nullum tamen esse posse indifferentem in individuo & quoad exercitium. Tertia Vazquezij & aliorum, admitrentium actus ex sua specie & individuo indifferentes.

§. II.

Prima sententia reijcitur.

Dico primò, dari actus indifferentes ex sua specie.

Probatum ratione D. Thomæ hîc art. 8. Actus humanus speciem sumit ab objecto, ut disputatione præcedenti visum est: unde sicut actus illi dicuntur boni ex sua specie, qui tendunt in objectum de se bonum, & contrario illi ex specie sua censentur mali, qui ex vi objecti habent turpitudinem; ita illi indifferentes ex sua specie appellantur, qui habent objectum ex se ad bonum vel malum indifferens, utpote secundum se neque consonum, neque dissonum rationi. Hujusmodi autem esse plures actus voluntatis constat: nam ambulare, levare festucam, ire ad agrum, & hujusmodi, ex objecto non habent bonitatem aut malitiam, sed ad utramque indifferentes sunt; unde ex bono sine honestate, & ex malo vitari possunt, juxta illud Augustini lib. 2. de ferm. Domini in monte: *Sunt quedam facta media, quæ possunt bono vel malo animo fieri, de quibus judicare temerarium est.*

Confirmatur: Communiter dicitur quòd aliqui actus humani sunt boni, quia præcepti, ut abstinere à carnibus die Veneris; & alij mali, quia prohibiti, ut manducare carnes die Veneris: Ergo signum est quòd isti actus sunt indifferentes secundum suam speciem, & quòd possunt ex adjunctis circumstantiis determinari ad bonum vel malum: si enim secundum suam speciem essent determinatè boni aut mali, dicerentur è contrario præcepti quia boni, vel prohibiti quia mali.

E Sed est communis objectio: Inter opposita privativè non datur medium: Atqui bonum & malum opponuntur privativè: Ergo inter illa non mediat actus indifferens secundum suam speciem.

Confirmatur: Inter verum & falsum respectu propositionis non datur medium; omnis enim propositio aut est determinatè vera, aut determinatè falsa: Ergo neque inter bonum & malum respectu actûs voluntatis.

7. Respondeo primò: quòd licet bonum & malum in naturalibus opponantur privativè, in moralibus tamen opponuntur contrariè: quia peccatum, quod est malum morale, non consistit